

...ration.

4

01

A

55



M. K. 22<sup>7</sup>  
(Luth. 43 F. 43.)

DE LAUDE ATQUE UTILITA-  
TE BELLI,

42

# ORATIO,

*In Avellino ad tractandum proposita;*

Elaborata autem

ET IN ILLUSTRISPLENDI-  
dōq; Comitum, Professorum, Studiofo-  
rumq; Conventu, memoriter  
recitata Marpurgi.

à

PETRO Liff / MICHELSTADIENSI.



*Marpurgi Cattorum,*  
Typis HÆREDUM Casparis Chemlini.

M. D. C. XLV.



VIRIS  
NOBILISSIMIS, AMPLISSI-  
mis, Consultissimis

D. N. MAXIMILIANO Zum Jungen  
Liberæ florentissimæq; Reipublicæ Francofurten-  
sis ad Mœnum Consuli Seniori prudentissimo &  
Scholarchæ Spectatissimo, patriæ suæ & seculi hu-  
jus ornamento, literatorum bonorumq; omnium  
patrono singulari, Domino & Mecænati meo o-  
mni animi submissione honorando.

D. N. FRIDERICO Liff / Serenissimi  
Celsissimiq; Principis ac Domini, Domini GE-  
ORGI Hassiæ Landgravii &c. Consiliario me-  
ritissimo, Arcis Kelsterbacensis Præfecto summo,  
Domino patruo meo filiali fidelissimoque pectore  
ætatem humilimè venerando.

*Exercitium hoc Oratorium, eâ,  
quâ par est devotione, consecrare volui*  
L. M. L.

PETRUS Liff.



*Salve Heroum sanguis!*

**P**ER ILLUSTRES & Generosissimi  
Comites ac Domini, Domini, gratiosissi-  
mi, Clarissimi Domini Professores, No-  
bilissima & Eruditissima Studiosorū co-  
hors, & si qui porrò adestis viri & juvenes  
omnium ordinum honoratissimi, salvete!

Quod vestrae perillustres generositates, ad hunc  
Oratorium, gratiosissimā praesentiā suā illustriorem,  
splendidiorēq; reddere voluerint, tanta gratia est,  
quam alio redhostimento pensare nequeo, nisi ut ve-  
stros ante pedes humilimo animo procumbam, & gra-  
tias agam, quas possim. O utinam possem, quas meritò  
deberem! Date veniam o generosissima pectora, si vir-  
tutum vestrarum majestas & splendor, quendam quasi  
pallorem in ipso exordio incutit huic juvenili vultui  
meo, adeò ut vix respirare aut scire queam, quid primā  
quid secundā vice dicendum. Juvenili audaciā incensus  
eram, enumerandi laudes & encomia Martis. Hoc para-  
doxon non defenderem, nisi vestros genitores, vestros  
avos & proavos intuerer; nisi Lippiensium Comitum  
Originem, quidam deducerent à fortissimo illo Roma-  
no, qui Gallos è Capitolio ejecit; nisi hæc familia à Ca-  
roli Magni temporibus illustris, olim Saxonibus belli  
tempore Reges dare consuevisset, teste Reusnero; ni-

A 2

si deni-

si denique in Nassovicâ gente & Adolphum Imperato-  
 rem Romanum, & Wilhelmos & Mauritos, & tot alios  
 Heroes manu fortissimos, nec deteriores ingenio, nu-  
 merarem, & denique crederem, vos imitatu-  
 ros Iulium  
 Cæsarem, qui pingi solet alterâ manu librû, alterâ gla-  
 dium tenens, cum hâc inscriptione: **A D U T R U M Q U E**  
 paratus. Ego, tanquam infirmus juvenis, qui vel pulve-  
 rem pedum vestrorum revereri paratus est, hunc ani-  
 mum equidem literis consecravi totum, & nihil magis  
 mihi in votis est, quàm ut id studiis meis assequi possim,  
 quo Patriæ meæ cum utilitate aliquâ inservire queam.  
 Attamen ut ingenuè eloquar, sæpè aures meas offendit,  
 quoties audivi solas literas laudari, & ignavæ pacis en-  
 comia recenferi, contra verò injuriis & calumniis pro-  
 scindi bellum, nobilissimorumque armorum studium,  
 cui uni tamen tot Nobiles, tot Principes, tot Heroes hoc  
 ipsum debent, quòd in ore omnium seculorum trium-  
 phent, quòd non tantùm honoribus sint aucti, sed & re-  
 gnis atque divitiis locupletati. Si bellum fœda res est &  
 sentina malorum, ut ignavi vociferantur, cur non ante  
 tot secula rejectum, cur post tam longâ consuetudinem  
 hodiernum à Nobilibus approbatur, à Principibus de-  
 nunciatur, à populo exercetur? Ergone credendum rei  
 inhonestæ & illicitæ summos orbis Monarchas popu-  
 lumque Christianum universum, tot annos operam de-  
 disse? Adeste ò Heroes, quotquot generosis manibus  
 hastas in campo torquetis! Adferte animos illos fortes,  
 quos in mittendis telis, in scandendis muris incēditis, &  
 ipsis igneis oculis vestris, torvaq; vultuum majestate ap-  
 probate, quæ dicturus sum. Ut attentionem & benevo-  
 las

O R A T I O.

las aures mihi conciliē, nō jam ambitiosa verba & phra-  
 seologias ē Dictionārio aut Sylvā vocabulorum quæro,  
 sed mallem ut tympana & tubæ in promptu essent. Sed  
 nolite interim pallefcere vos cæteri Auditores. Ajunt  
 apud Norinbergenses olim institutā fuisse comædiam  
 de Pyramo & Thisbe, & desideratum fuisse leonem. O-  
 mnes sollicitos fuisse, unde leo haberi possit? Tandem u-  
 num ex actoribus dixisse: Leonem commodè repræsen-  
 tari posse von Meister Hansē dem Kirschner. Meister Hans  
 itaque prodiit in theatrum, pelle leporinā amictus, &  
 spectatores in hunc modū allocutus est: Forſan GRAVI-  
 DÆ quædā VIRGINES & matronæ expaveſcēt, ſi rugire  
 incepero. Sed eſtote bono animo. Ich bin kein Löw / ſon-  
 dern Meister Hans der Kirschner. Nolite quoque vos tre-  
 pidare, ô Auditores optimi. Non ſum miles aliquis ex  
 hoſtili caſtro, ut cupiam tumultum excitare. Sed ſum  
 Petrus Liſt / ille ego, qui quondam tenui modulabar a-  
 venā. Et quanquā nec Rhetorum callidis ſtrophulis nec  
 ſubtilibus Logicorū Syllogiſmis ſatis exercitatus ſum, a-  
 ſcendi tamē hanc cathedrā, facturus periculum, ecquid  
 contra numerofas & multo ſtudio elaboratas Oratio-  
 nes de pace, valeat nuda Veritas. Non equidem mihi ob-  
 ſcurum eſt, animos veſtros concitatis Rhetorculorum  
 vociferationibus inclinatos vel potius pertractos eſſe in  
 eorum ſententiam, qui pacem ignavo ore laudant. Aſt  
 afflicte veritatis præſidiū, & ipſa æquitas hanc mihi ſpem  
 faciūt. fore, ut auditis belli encomiis, bello in poſterum  
 magis faveatis. Et optarem, ut Mars jam ipſe prodiret &  
 (ſicut non rarò ſolet) ipſe laudes ſuas eloqueretur. Nam  
 inter prima diſciplinæ ſuæ rudimenta eum ſtultitia eru-



diit, cuius diligentia est educatus, & ita imbutus, ut quamtulamcunq; nactus occasionē, sedulus & magnidicus sit sui admirator & laudator. Et hæc eadē cōsuetudo solennis manet generosissimis viris, utpote qui in castris ab ipso Marte & ejus nutrice, STULTITIA, ita edocti sunt. Novistis mecum, quantā cum voluptate soleant egregia facinora sua recensere, cicatrices ostentare, & numerare, quoties in campo, siti, fame, frigore, æstu, pediculis, pulicibus infestati fuerint. Quantā fide id fiat, facile intelligitis. Nam nemo tua melius scire potest, quam tu ipse. Et sanè, eò magis optarem, ut jam Mars se ipsam laudaret, quia nondū satis constat de origine ejus, utut clarissimā. Nam alii Jove patre, Junone matre progenitum ajunt. Alii Junone solā sine semine virili, contrectatione herbæ cujusdam à Flora meretricū Dea monstrata, genitum autumāt. Alii putant eum non genitum esse à Junone, sed ab ipso æterno DEO, è justitia, & non in fabuloso illo cœlo, sed in vero. Nam cūm *Lucifer* ille inter angelicos cœtus tum primarius & formā genius singulari, in corde suo dixisset: *In Cœlum ascendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo*, tum suadente justitiā, (quæ unicuique digna factis expendit) Sanctus Michael superbum hunc Spiritum, cum omnibus ejusdem animi sociis de cœlo in tartari barathrum præcipitavit. Et hoc primum fuit bellum. Postea *Lucifer* in terras demissus, ægrè ferens tam splendidā possessione se dejectum, intelligensque eam ad hominum usum ab altissimo destinatam, homini invidēbat hanc felicitatem quā privatus erat, & proinde medita-



meditabatur, an hominē bono suo fraudare possit? Expertus itaque superbos à Deo non amari, Superbiæ stimulis hominem aggressus est, & paradiso simul & cœlo exclusit. Hæc prima origo tam gravis belli, tam atrocis dissidii inter Deum & hominem, inter carnem & Spiritum. Portæ cœlorū deinceps adeò validis clausæ fuerūt vestibibus & repagulis, ut nulli patuerit introitus, donec generosus ille heros se obtulit, qui humilitate suâ humanam superbiam obfuscavit, suâ obedientiâ inobedientiæ crimen extinxit, & contuso versutissimi serpentis venenato capite suos in victoriæ Spem erexit. Si juxta Rhetorū præcepta non parum momenti habent, GENUS ET PATRIA, ad declarandū unius cujusque ingenium, facile jam intelligetis, qualis quantusq; Mars sit, utpote qui genus suū è cœlo deducit, & patriâ habet, cui fortunatæ insulæ comparatæ non sunt fortunatæ. Erasmus Roterdamus Stultitiæ laudes enumerans, inter primas refert, quòd Domina STULTITIA Martem pepererit. Si igitur parentes ob liberorum virtutes quãdoque honorantur, si Stultitiæ honori est produxisse Martem, miror quæ fronte postea in oratione de pace, eundem Martem tot calumniis petat, eundemque publicam rerum humanarum omnisque pietatis pestem appellitet. Vos ipsi judicate, Auditores optimi, quid fidei vir ille mereatur, dum veluti diversis scenis inserviēs, jam vituperat quod paulò ante laudârat. Ego quidē vituperium ignavorum & timidorum hominum non multum curo. Scio enim summam esse laudem ab ignavis vituperari, ab hisdem laudari summum vituperium. Quid miramini, bellum iis displicere, qui summam vitæ felicitatē in Melancholicis spe-

cis speculationibus quærunt, qui omnes Principes Mœ-  
 cenates volūt, sibiq; omnē pecuniā potius, quàm militiæ  
 & Reipublicæ comodis impendi postulant, saltē ut post  
 fornacem aut pulpitem ociosis manibus miseras chartas  
 impleant, aut inutiles casses contexant, ut iisdem capi  
 possint Latini lepores. Et quamvis, ut ex superioribus pa-  
 tet, **STULTITIA** genitum esse Martem, falsò dicit E-  
 rasmus, tamen libenter ego fateor, eum fuisse à Stultitia  
 educatum. Nam cum omnia olim in deterius laberen-  
 tur, & homines mallent omnia potius ex animi libidine  
 quàm ex æquo & bono agere, tam gravis mortalibus vi-  
 sa est justitia, *piæ memoria* (quæ Martis mater fuit) ut non  
 tantum publicè irrisa & pedibus conculcata fuerit, sed  
 & tam acri exagitata invidiâ, ut salutis suæ aliter consule-  
 re nequiverit, quàm è terris in cœlū in itâ fugâ. Quoniã  
 verò Martem homines dentibus & unguibus suis reti-  
 nuerūt, **JUSTITIA** hunc filium suū simul abstrahere non  
 potuit, sed tenellum & adhuc in crepundiis vagientem  
 relinquere coacta est. Quid fecisset miser infans, nisi  
**STULTITIA** ejus misera, nutricis onus suscepisset,  
 ei mammam præbisset, præmandisset, atque omninò  
 matris loco fuisset? Non hoc satis fuit Sanctæ **STULTI-  
 TIÆ**, sed postquam officiosæ nutricis officio per omnia  
 defuncta est, jam pubescenti alumno suo Præceptores  
 & consiliarios fidissimos, tanquam vitæ socios adjunxit,  
 utpote *furorem, ambitionem, terrorem, invidiam, perviciã,*  
*litem*. Splendido hoc comitatu exornatū **MARTEM**, pe-  
 regrinari jussit **STULTITIA**, & protinuseū Cultori-  
 bus suis de optimâ notâ commendavit, & paulò post fa-  
 miliarem reddidit Regibus, Principibus, Pontifici Ro-  
 mano,

mano, Episcopis, Monachis, Jurisperitis, Medicis, Rhetoribus, Sophistis, Grammaticis, Criticis, & denique omnibus mortalibus, tam sacris quam profanis. Latissimè enim regnare & honorari Stultitiam, nemo ignorare potest, nisi qui vel Erasmus non legit vel se ipsum non novit. Plures sunt stulti quam homines. Nam hominum numerus finitus est, stultorum verò infinitus, ipsâ S. Scripturâ teste, & adstipulante Tullio nostro, qui ait stultorum plena esse omnia. Cùm igitur tanta beneficia in Martem contulerit *stultitia*, cùm ab ejusdem cultoribus ubique tam lautè exceptus fuerit, nihil tale promeritus, quid miramini quod stultis & stultitiæ omnia, quæ libent, liceant, si modò res in Martis luco fanoque sitæ? Hanc Martis licentiam & liberalitatem Græci & Romani intellexisse videntur, dum maluerunt in bello stultescere, quam domi in pace Philosophis suis aut Orationibus auscultare. Et certe, prætexant mortales quicquid velint. Nisi bellum amarent & pacem odissent, non sic jugibus bellis inter se conflictarentur. Patimini, Auditores, ut vobis recenseam somnium aliquod, quòd hodiè albescente aurorâ suaviter obdormiscenti obvenit. Putabam me in Thuringiam venientem, transisse Erphordiam. Vix in campum amœnissimum veneram, cùm mihi occurrerent rustici aliquot Thuringi, qui pacem variis elogiis cumulabant. Nam pacis tempore (ajebat unus eorum) halecem emebamus pro quatuor obulis. Et optime Compater Johan, quam egregiam cerevisiam parer tuus coquere solebat? Ita me Dii Dædque ament omnes, si quis mensuram unam atque alteram biberat, neque manus neque pedes officium suum face-

B

re po-

re poterant. O Jupiter, & quotquot præterea Dii Deæ-  
 que auream concordiam amatis, Regum & Principum  
 corda flectite, ut tandem pacem reducant. Pacem dum  
 dicimus, simul eloquimur, quicquid inter temporalia  
 bona, etiam avara mortalium vota concipere possunt.  
 Nam qui hoc unum bonum affectus est, miratur se om-  
 nia reliqua possidere. Jupiter has rusticorum preces  
 exaudire videbatur, & è nubibus projiciebat nasum ha-  
 lecis. Sed hinc vidisses tumultum bellumque majori ani-  
 morum impetu agi, quam olim Cæsar & Pompejus, aut  
 Marius & Sylla. Nam alter agebat, nasum halecis ad se  
 pertinere, quia ardētius precatus sit. Alter agebat se na-  
 sum prius vidisse. Tertius dicebat se pagi illius prætorem  
 esse, proinde sibi, tanquam legitimo Magistratui hoc  
 Deorum munus deberi. Sic tandem à verbis veniebatur  
 ad verbera, & lis multo sanguine profuso, nondum fi-  
 niebatur. Jupiter videbatur ridere, dicens: O ineptissi-  
 mi mortales, quousque templa tot votis fatigabitis, ut  
 pax redeat terris, quam venientem tamen non admitti-  
 tis? Et fatemini, Auditores, quotusquisque vestrum vel so-  
 lo belli nomine audito, non statim animo concipit pul-  
 cherrimæ cujusdam rei imaginem? Majoribus nostris  
 in more fuit, rebus non temeraria sed cujusque naturæ  
 congruentia nomina imponere, id quod multis verbis  
 in Cratylo suo prosequitur divinus Plato. Hinc belli vo-  
 cabulum bellissimæ & honoratissimæ rei voluerunt da-  
 re, ne postea alicui ambiguum esset, primum honorem  
 in omni republica Bello deferendum esse. Et quis ambi-  
 geret, sitné bellum res honesta, nisi quis simul dubitare  
 velit, an laude vel vituperio digna sit nobilitas & famæ  
 immor-

immortalitas, quæ bello parantur & propagantur? Videmus ubique ferè bellatores, tanquam patriæ tutores & vindices, pulcherrimum locum sortiri. Ipse Aristoteles quintam civitatis partem assignat propugnatoribus atque armigeris, quos dicit non solùm honestos sed & necessarios, nisi velimus inimicis servire. Bellum, bellum inquam est, quod primò populum in unum locum coëgit, quod urbes mœnibus vallisque cingere docuit, quod easdem ab interitu vindicat. Hæc quia non viderunt post fornacem sedentes Grammatici illi otiosi, ne otium suum turbandi aliis occasionem darent, maluerunt inscitix suæ reprehensionem incurrere, quam germanam belli Etymologiam aperire. Quidam enim bellum quasi minimè bellum per antiphrasin dictum prodiderunt. At ego plus Platoni credo, qui ex consideratis diu rerum qualitatibus, imposita nomina esse, luculenter demonstrat. Alii, inter quos est Festus, bellum à belluâ dictum somniârunt. Novo ut opinor schemate. Nam quæ hæc nova Etymologiæ ratio? Dicite etiam, si sic placet, literas ita dictas à literatis, ocreas ab ocreatis, tunicas à tunicatis. Ego interim juxta rei veritatem, assumpto paulisper Grammatici munere, contrarium doceo, & literati à literis, armati ab armis, ocreati ab ocreis, belluas à bello denominari dico. Belluas inquam à bello, quia videlicet bello rei bellæ frequentem operam navare visæ sunt. Circumspicite Auditores, annon illud armorum genus, quo jam utimini, quo accincti in hoc Auditorium venitis, annon ad authorem naturam referri potest? Nam amantissima hominum parens & al-  
trix terra, inter cæteras humani generis delicias, æs &

B 2

vulni-

vulnificum chalybem quoque producere voluit, industriaque aptandea in arma, ingenii hominum ultro inservit. Nonne ipsa natura mirifice delectatur discordia rerum? Si oculos ad caelestis machinae architecturam inflectimus, videmus errantium syderum, interque ea solis & lunae meatus, contrarium mundo agere cursum, id est, laevum, semper illo in dextram praecipiti. Eorundem syderum vis diversa & admodum pugnans est. Alia siccant, torrent, durant; alia humectant, solvunt, laxant. Venti non ab una mundi plagâ spirant, vel laboriosum flatus spiritum concordia & mutuâ operâ juvent, sed proprium eorumque quisquis antimachum fortitus maximo conatu in mutuum exitium conspirat. Inter ipsa elementa maximam esse qualitatum pugnantiam etiam vulgus indoctum experientia docuit. *Frigida cum calidis pugnant humida siccis, Mollia cum duris sine pondere habentia pendus.* Totum corpus humanum non aliunde quam ex ejusmodi pugnantibus principiis constat. In omni corpore, maximo tumultu belligerant frigus & humidum cum calido & sicco, & unumquodque pro se summo nisu & cum oppressione adversarii ad dominium contendit, & ex cibo potuque maxime auxiliatrices copias cogit, donec corrogatis undecunq; auxiliis tyrannide stabiliat, diversâ partem opprimat, & totum corp<sup>9</sup> vel crudeliter affligat, vel omnino dissolvat, nisi oppressæ partî Medicorû præsidium maturè succurrat. Cum hæc ita se habeant, nolite mirari, **HOMINES ET BELLUAS** omni seculo ad cōtentiones, ad rixas, ad bella propensiores fuisse, quam ad pacem. Miramini potius, tam patientis auris esse aliquem, ut pacis vocabulum ullo modo  
audi-

audire sustineat. Ecquæ hæc infania est, postulare ut, qui ex dissidentibus & pugnantibus partibus compositus est, vitam in pace exigat, id est, ut sphaera in præcipitio quiescat, ignis non adurat? Annon exemplo satis fuere Gigantes, quàm non sit tutum repugnare naturæ? Dum hæc dico, dum plura quæ dicam occurrunt, oportet me iterum iterum quæ ad naturam provocare & dicere quanto perè illa discordiæ studuerit. Quandoquidem similitudo amicitiae conciliatrix est, voluit natura homines inter se non facie tantum sed & animo, consilio & opinionibus perquam dissimilimos esse, adeò ut in tanta multitudine non facilè duos invenias, qui aut vultu sint simili aut eodem: *Quot capita, tot pilei, tot opiniones.* Sed dicant mihi quotquot hominem paci & cõcordiæ naturam clamant, an qui bello operam dant, contra naturam suam faciant nec ne? Si contra naturam suam faciunt, cur nemo miratur totum terrarum orbem jam inde ab origine, usque in hunc diem, bellorum tumultibus æstuasse? Cur eos abominamur, qui vel leviter aliquid contra naturam admittunt, & solis bellatoribus ad nominis immortalitatem triumphos decernimus & statuas in publicis locis consecramus? Cur ignavi vocabulum tam impotenter ferunt & ii, qui sunt ignavissimi? Cur omnes malunt fortes atque animosi videri? Cur bellatorum gesta eximia, tot monumentis scriptores Clarissimi tradiderunt posteritati, & de quietorum nominibus tacendum putarunt etiam illi, qui otio plurimum sunt gavisi? Nulla natio sub cœlo est, quæ non aliquando Martis Numini religiosissimè litaverit. Percurrite utramque Asiam, Libyam, fecundam bellis Europam, & dicite quæ sit regio, quod

oppidum, qui pagus, quod collegium, imò quæ familia, quæ aut bello non tumultuetur, aut certè frequenter sit tumultuata? Hos extimulat ambitio, illos furor, alios invidia, nonnullos contentio, non paucos gloria. Neque omnibus eadem belli facies. Hi ferro congreduuntur, istis calami sunt arma, aliis lingua, cum mulieris in morem venenatis conviciis concurrunt, & de lana caprinâ muliebriter rixantur. Si diligentius investigates multorum dissidiorum causas, nihilo plus agas, quàm si nodum in scirpo quæras. Nam aut nullæ sunt, aut tam leves & pueriles, ut facilè intelligas, inimicitias sumptas esse pacis impatientiâ, & potiùs belli cupiditate, quam ulciscendi libidine. Excipe belli delicias pacisque incommoda, & di mihi deinde, cur Britannus Gallo, Gallus Hispano, Germanus Pannonio, Suecus Dano naturâ sit offensior? Cur denique intra ejusdem gentis imò civitatis pomeria, nobilis obscuro, equestris patricio, illiteratus literato, urbanus rustico, pauper diviti, profanus Ecclesiastico, Juris Consultus Theologo, Theologus medico, Grammaticus omnibus sit offensior? Imò cur Theologus nõ sincerè comunicet cū Theologo, cur Medicus Medico, Sophista sophistæ, Cantor cãtori, Figulus figulo, Mendicus mendico sit inimicitior? Æmulation. inter ejusdem Minervæ sectatores adeò non est rara aut nova, ut eam ante tot secula Hesiodus non malus Poëta, venustissimo Carmine celebrayerit, in libro cui titulus est, OPERA ET DIES. Te testor ò antiqua & nobilis Cathedra, vos quoq; testes voco ò parietes, quot, quanta & qualia in hoc ipso Auditorio gesta sint bella scholastica? Quoties Collega cum collega, quoties Studiosus cum studio-



studioso, amicus cum amico congressus sit, animo non  
 discendi aut docendi, sed altercandi & contradicendi?  
 Inter virum & uxorem, quos copulat totius fortunæ  
 communitio, idem thalamus, una caro, quantula quæso  
 res, quanta sæpè excitat bella domestica? *Semper habet  
 lites alternaq; jurgia lectus, in quo nupta jacet, minimum dor-  
 mitur in illo.* Errant, quicumque putant, Reges quando-  
 que ob obsoletum titulum aut oppidulum, aut castel-  
 lū, aut pecunię summulā, tam gravia suscipere bella. Il-  
 lené res dignæ essent propter quas Reges tot curiosis vi-  
 giliis, tanto odio, tot incursionibus, tot cœdibus & deni-  
 que tot certis sumptibus incertum Martis exitum expe-  
 ctarent? Credite mihi, propter has causas vix unam no-  
 ctem insomnem traherent, aut aleas vel chartas lusorias  
 semel è manibus deponerent. Quæritis verò, quæ igitur  
 turbandæ publicæ tranquillitatis vera ratio sit? Ipsa  
 pacis intolerantia. Ridiculum esse existimare, tot Prin-  
 cipes, & Heroes decennii obsidionem, *muliercula gra-  
 tiâ apud Trojam perpeffos, atque ob ejusmodi rem mu-  
 liebrem, tot mulierum partus perdidisse.* Nam & Mene-  
 lao plurimas Helenas suppeditare potuisset Sparta, &  
 ille Thracum Rex, ad ferendum auxilium sollicitatus, A-  
 lexandro duas exquisitæ formæ uxores ulterò obtulit, si  
 reddita Helenâ ab armis discederet. Sed *Natura*, naturæ  
 dico, sequitur semina quisque suæ. Qui ullos latentis vir-  
 tutis igniculos in se sentit, ejus exercendi publicandique  
 materiam quærit, id est bellum. Bellum verò semel in-  
 ventum, facile in multos años protrahit P E R V I C A C I A,  
 soror illa arrogantia. Ex hoc fonte maximorum bello-  
 rum causæ scaturiunt, ex his causis nobilitas, ex nobili-  
 tate

||

tate

tate, famæ immortalitas. Qui verò otio, deliciis, languore, desidia se dedunt, & paci student, inglorii consenscunt. Generosi animi summo conamine evitandum putant, ne vitam otio transigant, sed egregiis facinoribus illustratum nomen ad posteros transmittant. Neque id immeritò. Nam nominis perpetui gloriâ nihil optabilius esse, vel inde discimus, quod nullus unquam tam Philosophus, tam pius, tam mortuus isti mundo, sit inventus, qui non toto pectore ad nominis immortalitatem aspirârit, haud secus ac si certum sit cum nomine ipsa corpora victura, aut jam mortuos, bonam gloriæ illius partem sensuros. Omnem virtutis laudem in actione consistere ajunt Philosophi. Cur non igitur relicto Apolline cum Musis illis famelicis & ærumnosis, ad Martem certatim curritis. Ô Philosophi, qui dies pariter & noctes tanquam affixi libris, jejuni, macilenti, frigidi, insomnes chartis impallescit & ipsam vitam perditis, nescio quâ immortalitatem vobis promittentes? Cur non ad eundem Martem properatis. Ô Laboriosi Juris Consulti, torvi Medici, ingeniosi Dialectici, & vos adultores Rhetores & Poëtæ, & quotquot denique ambitioso gloriæ curru immortalitatis voluptatem tantis rerum voluminibus molestè molimini? Cur non eâdem diligentiam manus ad ferrum instruitis, quâ linguas ad jurgia & rixas? Hic dabit una dies, quod vix infinitis vigiliis, multisq; vitæ incommoditatibus infelicissimè paratis. Quot rustici ex obscurissimis pagis, quot sutores, sartoires, mercatores, qui rem fidemque decoxerant, in bello ascenderunt ad summa gloriæ divitiarumq; fastigia, qui reddita pace, ad pristinam infelicitatem redibunt, & vel laborare

borare cogentur vel patibulum ornare. Hi nimirum sunt pacis fructus! Quemadmodum patrum nostrorum memoria, KIPPERI WIPPERIQUE (ignoscite Auditores, si novæ rei nova vocabula excogitanda) Germaniæ obtruderunt monetam illam Schaffhusensem, feceruntque ut hominibus etiam dormientibus, creverit THALERORUM valor: Eodem ferè modo homines in bello subito ditescere, & non tam crescere, quàm crevisse vides, adeò ut sæpè ejusmodi creatura militaris non immeritò dicere possit: *Olim truncus eram, nunc sum de cespite lignum. Nulla salus paci, bellum te poscimus omnes.* Si quis avaros cives, mercatores, caupones aliosque negotiatores nonnullis in locis interrogaret, annon bellum quandoque exoptent & milites, qui omnia quadruplo pretio emant, quid putatis tacitè cogitaturos? Si quis Nobiles interrogaret, an pacem malint quàm bellum, quid creditis responsuros? Si tanti est esse Nobilem, frustrà pacem desideratis ô Nobiles. Nam ille demùm Nobilis est, quem nobilitat sua virtus. Nulla autem virtutis exercendæ materia remanebit, bello sublato. Quid genus & proavos strepitis? Quasi verò virtutum hæredes vos relinquere possent ut prædiorum. Virtutes illæ non aliis studiis parandæ conservandæque sunt, quàm iis, quibus Majores vestri eas pepererunt. Quæ dementia est, pacem nobilitatem propagare velle, quæ armis parata est? Alexander Magnus adhuc puer, patre multa prosperè gerente non lætabatur, sed ad pueros, quibus cum conversabatur conversus, sæpè exclamabat: *Nimirum pater nihil mihi relinquet agendum!* Cùm illi dicerent, *Tibi hæc parantur, ô Alexander.* Imò, respondebat, *quid prodest*  
 C si mul-

*Si multa habeamus, ego verò faciam nihil.* Quoſcunque Mars  
 impiger ad maſculum animum cogit, eodem frigida il-  
 la pax luxat ac enervat. Pacis tempore videre eſt, ferias  
 indici, celebrari ſpectacula, choreas duci, potationibus  
 dies pariter & noctes trahi, ac ſolutè & libidinoſè omnes  
 vivere. Deſunt verba, quibus eloquar omnem laſciviæ  
 illius ſpeciem, quæ pacis tempore glifcit. Diceres, homi-  
 nes jurâſſe, nihil ſe facturos per pacem, niſi quod ſit tur-  
 piſſimum & decem Anticyris dignum. Contra ſi Mar-  
 tem adventantem vident, protinus DEI Majeſtatem  
 revereri, omnem intemperantiam fugere, vitam pud-  
 icam, frugalem, compoſitam & decentem agere incipi-  
 unt. Itur ad templa, quæ pacis maleficio vacua diu &  
 pulvere & aranearû telis aut ſitu ſqualentia fuerunt, re-  
 novantur neglecta ſacra, dies integri pœnitentiæ, pre-  
 cibus & jejunio conſecrantur, juvenus ad virtutem non  
 ad pocula & choréas invitatur, leges ſumpturiæ promul-  
 gantur, omnes denique in bonis artibus & moribus reti-  
 net metus hoſtilis. *Rara fumant felicibus aræ, Primos in orbe*  
*Deos fecit timor,* inquit Silius Italicus, Poëta elegantiffi-  
 mus. Sed quò vadit juvenilis lingua mea? Citius dies  
 quàm oratio deficeret, ſi omnia de laudando Marte di-  
 cenda eſſent. Vos ſaltem oro, ô Muſæ, ut in poſterum  
 Marti magis faveatis. Si unquam vobis gravis aut mole-  
 ſtus fuit, ignoſcite ei ô Muſæ. *Nil prodeſt quod non ledere*  
*poſſit idem.* Non facilè per pacem facietis ô ſorores ele-  
 gantiffimæ, quod Martis auxilio Helena fecit, quæ datâ  
 BELLII Trojani cauſâ, & ſe ipſam & alios multos viros  
 mortales, uno ADULTERIO illo imortales fecit. Sin verò  
 obſtinato animo placuerit in plebeculæ inſtabilis gratiâ  
 ex Pri-

O R A T I O.

ex Principum aulis & è campo, Generosum Martem e-  
 jicere, non sic tamen profuse eum exterminabitis. Late-  
 bit adhuc in civitatibus, imò in Collegiis vestris, in Mo-  
 nasteriis, in Jesuitarum cœtibus, in Scholis, & denique  
 in privatis familiis, & nunquam non resumptis viribus  
 graviore impetu aderit.

D I X I.

Lectori benevolo S.

**L**ector benevole, lector amice. Hunc juvenilis ingenii lulum  
 perlustranti tibi, in mentem veniat Orator ille, qui in cœtis  
 rusticorum paupertatem laudabat, quam multo honore colen-  
 dam esse ingeniosis argumentis suadebat. Rustici ad argumenta  
 respondere nescientes, fustibus, furcis, hastis & lapidibus refuta-  
 re conabantur molestissimum Oratorem. Ne idem nobis contin-  
 gat, per omnia Musarum Sacra te obtestamur, ne rustica genti  
 nos prodas, & ea, quæ de bello diximus, exponas. Musæ, laudes  
 has vel similes, Marti nō invidebūt, si modò è locis nostris se con-  
 tulerit Constantinopolin. Nam loca illa, Salvatoris nostri san-  
 guine irrorata, possidentur à Turcis, à canibus & porcis. Nos in-  
 terim Christiani consumimur, & (proh pudor) Christiano atque  
 fraterno sanguine mademus. Quemadmodum jurgia Achillis  
 & Agamemnonis erant gaudia atque tripudia Trojanorum, ita  
 Christianorum discordia, est exultatio Turcarum aliorumq̃  
 Dei & Ecclesia hostium. Vt Romanus olim, sic Turca jam se-  
 dendo & spectando vincit. Non aliter Turca res discordiis no-  
 stris



stris fovemus, ac si Duces ejus & Consilarii essemus. Nos ipsi Ot-  
tomannos gignimus, ipsi alimus, ipsi promovemus. Quoruitis,  
o Germani? Quis tandem furoris vestri finis erit aut modus?  
Quoties miseram universalis patria nostra faciem contemplor,  
vires meas ferire videtur tristis hac vox: Ne vocetis me Noemi,  
id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amaram. Nam a-  
maritudine valde me replevit Omnipotens. Attamen spe fati  
melioris alimur. Non si male nunc & olim sic erit. Non ita pridem  
in amœno loco quodam congregata erant generosa aliquot ani-  
ma, quarum consortio se immiscebat Calliope, quæ mesta, sed  
concepto furore augustior, obambulabat sub umbra arborum, &  
graves oculos huc & illuc ferebat. Tandem lyram à tergo negli-  
genter pendentem arripiens, movensq̃, oculis aliquãto severius  
rotatis, comis que per horrorem jactatis, vestigia sua turbans, O-  
rationem exordiebatur, non quidem in Carminis leges curiosè  
conditam (neque enim præ mastitiã poterat aut volebat,) sed ta-  
men ab humanã consuetudine non nihil divertentem, quã ita  
alloquebatur vicinos montes:

**D**u allhie vmb dieses Ordt  
Mehr nicht als vnser letztes Wort  
Scherzhafftes Echo wieder thonest  
Vnd vns so offt wir reden honest.  
Du stimmenbild dem nichts gefält  
Als jrgends wo ein Baum gezelt/  
Als einsamkeit vnd wüsten haine  
Als Schatten/ Thal/ Gepüsch vnd Steine.  
Do fern auch diesser Berg vnd Walt  
Dir gibt gewünschten auffenthalt

So/

So/wie du gabst Cephisus bächen/  
 Narcissus Klage nach zu sprechen/  
 So komm benehm der Sorgen mich  
 Mit welcher trägt mein Herze sich/  
 Vnd längst ohn Hoffnung hat getragen  
 So daß ich nur nicht muß verzagen.  
 Ich bin Calliope genandt/  
 Bin der Poeten Geist vnd Brand/  
 Ich bins/die Königen das Leben  
 Die längst verstorben sind/kangeben.  
 Ach komm/ertheil mir doch Bericht/  
 Weicht dann der Mars noch nicht? E. Noch nicht/  
 Was wird mir dann die Noth gebehren/  
 Die alles will verzehren? E. Zähren.  
 Durch Zähren hört mein Leyd nicht auff/  
 Weil ich im Elend lauff? E. Entlauff.  
 Soll ich nun die ich so getroffen/  
 Entlauffen? O der hoffen? E. Hoffen.  
 Wem traw ich dann/wo solches Leyd/  
 Mich fräncket jeder Zeit? E. Der Zeit.  
 Nach daß ich/weil ich auff dich schawen/  
 Der Zeit ombsonst nicht trawen? E. Trawen.  
 So kompt es noch daß Teutschland sein/  
 Kan werden/vnd ich mein? E. Ich mein.

Kompt dieser Tag / sag mir es frewlich /  
 Er ist mir hoch erfrewlich? E. Frewlich.  
 Kompt es / daß Mars von himmen zeucht /  
 In ander örter weicht? E. Er weicht.  
 Vnd ich gesichert auff der fahrte /  
 Auch meines Glücks erwarte? E. Warte.  
 Wolan / du gibst mir Trost vnd Raht /  
 Ich folge dir auch auff der statt /  
 Ich laß Verzweiffelung vnd Schmercken /  
 Von stund an fahren auß dem Hercken.  
 Ihr Nymphen omb die Felter hier /  
 Ô Avellin du grüne Zier /  
 Wol auff ihr Schwestern meine Frewd /  
 End saget nun dem schweren Leyd.  
 Hebt Augen / Stim vnd Herck empor /  
 Vnd nehmt der seiten Berck her vor /  
 Der Wafen trawriges beginnen /  
 Begibt sich endlich noch von himmen.  
 Der Fürsten Fürst / der Hessen Helt /  
 Soll haben hier was ihm gefelt /  
 Was ich vnd vnser Volck ihm geben /  
 Soll Zeit vnd Tod noch vberleben.

Vix ser.



**V**ix sermonem hunc finiverat *Calliope*, cum *Clio* Apollinem arcanis intentum consiliis, & manuum & oculorum blandimentis invitaret ad colloquium. Da veniam *ajebat*, ô pater, quod reluctansem & tantâ curarum mixturâ impletum animum tuum, retorqueam in miseræ & quasi morituræ Germaniæ contemplationem. Ecce, quis Perillus aut plura aut graviora excogitare posset, quàm quæ Germania patitur? Et dic mihi, cur tot jam diu convocatis, conductis, coactis, imò & sponte confluentibus Medicis, non modo non convalescere, sed pejus habere videatur? In mentem mihi venit *Ovidius*, qui quondam *ajebat*:

*Curando fieri quaedam majora videmus*

*Vulnera, qua melius non tetigisse, fuit.*


Certè, est bellum istud Germanicum velût ignis in *Naphtha* accensus, aut *Samothensi* *Malthâ*, qui profusâ quâ fortiùs ardet. *Velut Cancer* ita longiùs *serpit* malum istud. Quæ tandem vera causa? *Apollo* respondebat, mihi sedulò omnia rimanti, duo occurrunt, quæ faciunt ut morbi & vulnera agrè sanentur. Primò ægri inobedientia & secundò Medicorum aut multitudo, aut imperitia, aut infidelitas. *Ægri* inquam **INOBEDIENTIA** Medicorum jussa contemnentis, convalescentiam retardat. Nemo bene servatur invitus. Medici dicto suo **OBEDENTES** ægros desiderant. Sed *Germani* *primarium* *Medicum* *Deum*, ab his istisque avocantem, non audiunt. *Dieteticen* & ordinem vivendi à *Deo* præscriptum non sequuntur. Si *Deus* jam secaturam aut ambusturam manum extendit, tum flebiliter promittunt *facienda*. Si manum retrahit, promissa non solvunt. Si ferit, clamant  
ut par-


ut parcat. Si pepercit, iterum provocant, ut feriat. Præ-  
 terea multi tacent, qui à Deo jubentur loqui. Quidam  
 jussu Dei loquentes, jubentur ab hominibus tacere. Me-  
 dico interdum præscribit æger, non ægro Medicus.  
 Cùm plura dicere vellet Apollo, Clio dicentis humeros  
 levi manu verberans, non tantùm quid ægræ sorori suæ  
 nuper contigerit, exponebat, sed & quomodo de his ali-  
 isque judicaverit ægrotantis lecto astans ancilla. Et tu-  
 um, *ajebat*, judiciũ hîc esto, ò Apollo. Ego saltem refero,  
 ancillæ nostræ sic videri. Apollo vehemētissimè ridens,  
 respondebat se alio tempore & loco hâc de re dicturum,  
 & porrò interrogaturam dimittens, Valere jubebat.

*Vale itaque & tu, ò lector, & iterum  
 iterumq; salve.*

F I N I S.








01 A 6574

ULB Halle 3  
003 090 566



R. V D 17







DE LAUDE ATQUE UTILITA-  
TE BELLI,

42

# ORATIO,

*In Avellino ad tractandum proposita,*

*Elaborata autem.*

*ET IN ILLUSTRISPLENDI-  
dōq; Comitum, Professorum, Studiofo-  
rumq; Conventu, memoriter  
recitata Marpurgi.*

à

PETRO Liff / MICHELSTADIENSI.



*Marpurgi Cattorum,*  
Typis HÆREDUM Casparis Chemlini.  
M.DC.XLV.